

tur. Quot mala facinora, neglecta rationis cultura, obtentu numinis, et revelationis divinæ inter homines patrata sint, historia gentium abunde docet. 5. Accedit, quod omnino nulla revelatio, quæ sicut historia aliorum testimoniis nititur, tam certam potest nobis persuasionem afferre, quam quæ ex ratione proficitur, cujus decreta homini sua ipsius conscientia innotescunt. Quo magis autem religio intimæ humanæ mentis conscientia insita fuerit atque impressa, eo certius homo beneficam ejus vim in variis vitæ humanæ vicissitudinibus experietur. 6. Denique argumentum speciosissimum, quo revelationem supernaturalem ostendunt (*supernaturalistæ*), *petitionis principii*, quod vulgo dicitur, vitio premitur. Id enim sumitur ex iis, quæ in aliquo libro, qui modo quodam supernaturali confectus esse perhibetur, leguntur. Huic autem ipsi fidem esse adhibendam hoc argumento scilicet persuadere conantur, quod supernaturalem revelationem contineat. Itaque demonstrandum pro demonstrato ponunt. Ac si quis, ut fit, rationis humanæ imbecillitatem religionisque naturalis insufficientiam e peccato originali, ex lapsu protoplastorum scilicet oriundo, demonstrare velit, is sane in eodem errore versabitur. Nec minus in eandem reprehensionem incurret quicumque argumentationibus e ratione et philosophia deductis fidem *religiosam*, a ratione et philosophia plane alienam, ad earum præcepta non esse exigendam statuerit; ergo. Hactenus Wegscheider (1) ad suum rationalismum statuendum.

Resp. generatim *D.* Et hæc usque adeo non destruunt factum a nobis statutum, ut ne attingant quidem, *C.* destruunt vel attingunt *N.* Stat adhuc tota argumenti a nobis inde deducti firmitas, stant omnia quæ nexu legitimo ex eo consequuntur. Sed jam expendamus singula ab adversariis asserta.

Ad 1. *N. A.* Ad arg. sive rationem *N.* paritatem. Cetera enim animantia, cum instinctu ac necessitate agant, iis utique mediis omnibus a natura instructa esse necesse est, quibus finem suum attingant. At vero homines, cum ratione ac libertate præditi sint, possunt utique a fine suo aberrare, prout eos sive quoad religionis cultum sive quoad officiorum observantiam revera et aberrasse olim et nunc quoque temporis turpiter aberrare historia et experientia testantur; quibus insuper edocemur nunquam per se homines a publica ejusmodi et universali aberratione eximi potuisse vel posse, ut ostensum a nobis est, absque externo aliquo adjumento, quo non solum rite instituantur, sed præterea ad exequenda ejusmodi officia moveantur et impellantur. Hæc ratione non solum hominis naturæ et dignitati opportune provisum est, sed præterea etiam homo ipse et tutius ducitur, et occasio ei præbetur tum exercendi virtutes sibi proprias, tum melius divinas perfectiones cognoscendi.

Ad 2. *D.* Id est, posita gratuita hypothesis de

(1) Op. cit. proleg. c. 1, § 11. Quod si cuiquam videri possint obscuræ ejusmodi difficultates ita expositæ, meminisse is debet illas de verbo ad verbum ex citato auctore esse desumptas.

plena officiorum cognitione et motivorum ad illa efficaciter adimplenda, *Tr.* vel *C.* sublata ejusmodi hypothesis *N.* Et hoc est præcisè de quo queritur; omnium porro sæculorum experientia et factum ipsum ejusmodi hypothesis destruunt. Rationalistæ igitur vere principium petunt, dum assumunt, quod esset probandum, et falsum omnino est. Ad conf. *quicumque autem spreto hoc rationis*, etc. *D.* id est, qui rationi non tribuunt nisi eam partem, quæ ei competit, *N.* qui nullo modo rationem consulunt, imo et excludunt atque spernunt *C.* Hoc vero non contendunt, qui rationem revelationi subjiciunt. Perperam proinde affirmant rationalistæ, cæco instinctu aut sensu ab homine parendum esse supernaturali revelationi, quæ rectum rationis usum nunquam proscrispsit, imo commendat. Rectæ propterea rationis munia in revelationis negotio in eo sita sunt, ut expendat fundamenta, quibus hæc innititur, et deinde, hæc semel constituta, se submittat in iis, quæ ejus captum excedunt, quod ratio ipsa dicat; in ceteris vero, quæ ejusdem aciem nimine superant, plura habet, in quibus se exerceat, ea evolvendo, quæ per revelationem didicit. Hæc autem agendi ratio nullatenus veram hominis naturam tollit atque evertit, ut ipsi autumant, sed impedit, quominus natura ac dignitas humana rursus concidant, prout revera hoc destitutas præsidio concidere necesse est.

Ad 3. *D.* Nisi certo constet ab alia causa, quam a naturali esse repetenda, *C.* alias *N.* Et hic rursus principii loco constituunt adversarii (qui nos arguunt petitionis principii) quod falsum est; asserunt et supponunt, sed non probant, humanam rationem absque externo ac supernaturali subsidio tum omnia religionis ac morum præcepta agnovisse tum motiva ad ea exequenda, quod est contra factum. Scilicet quidpiam constanti vultu tanquam ex delphico tripode asserere et illud argumentis stabilire non idem est. Primum illud optime adversarii nostri præstant, alterum negligunt. Ad Prob. *stultæ esset arrogantia*, etc. idem esto responsum; addatur non fingi a nobis *supernaturalem ac miraculosum eventum*, cujus certa quædam nota demonstrari omnino nequeat, sed plane demonstrari, prout evidenter patebit, cum sermo erit de divinæ revelationis existentia, ubi pariter ostendemus certas quasdam esse notas ad supernaturalem ejusmodi eventum secernendum. Ad Conf. *si qui sunt, qui supernaturalismum... ii leges cogitandi... transgrediuntur*, etc. *N.* Aliud enim est, facta revelatione earum veritatum, quæ in naturæ ordine continentur, deprehendere eas consentaneas esse rectæ rationis principii, quod factum difficile non est; aliud vero illas omnes veritates, seposita revelatione, cognoscere, quod adeo difficile est, ut nedum integri populi plurimum sæculorum decursu, sed vel ipsi sapientissimi philosophi in eo cæciverint et toto cælo erraverint, ut ex facto ostendimus (1). Duo hæc adversarii commisceant in sua thesi, quæ commisceri nec possunt nec debent.

(1) Plato communionem uxorum in sua republica admisit. Socrates Theodotam quamdam meretricem

hinc negamus illationem: *quæcumque religionis doctrina menti humanæ prorsus dicitur convenire, ea ex hac ipsa ad leges ejusdem accommodate repetatur necesse est*; detecto enim sophismate, ejusmodi illatio evanescit. Adnoto præterea, tanquam certum rursus assumi ab adversariis divinam revelationem non complecti nisi eas veritates, quæ ordinem naturalem non prætergrediuntur; complectitur autem revelatio plures alias veritates, quæ humanæ mentis aciem superant, ut suo loco ostendemus, quare rursus peccat adversariorum argumentatio, et eo laborat vitio, quod falsi suppositi vulgo dicitur.

Ad 4. *D.* Et inde sequitur rationem per se posse omnia religionis et morum officia cognoscere, vel cognita ab ipsa fuisse seposita revelatione, *N.* ut patet ex dictis; sequitur ratioem propositas sibi morales veritates cognoscere tanquam rectis principii congruentes *C.* Recolantur nuper dicta in resp. ad Conf. 3. difficultatis. Eadem semper æquivocatione laborant ejusmodi argumenta. Ad Conf. *quot mala facinora*, etc. *D.* Ex neglecto examine accurato motivorum, quæ vocantur *credibilitatis*, *C.* rite adhibito hoc examine *N.* Quæ vero ejusmodi motiva sint, inferius aperiemus.

Ad 5. vel *N.* vel *D.* Persuasionem non afferat ejusdem ordinis *C.* alterius ordinis, quæ eandem patriat certitudinem seu saltem æquivalentem *N.* Ex logicis enim omnes norunt pro subjecta materia triplicem distingui certitudinem, metaphysicam, physicam atque moralem; et postremam hanc, ut reliquas, quæ ad institutum nostrum non pertinent, taceamus, dummodo plena sit, conditionesque omnes præsererat, quas illi requirunt, nos tutos æque de veritate redere ac certitudinem metaphysicam, atque in eam demum resolvi. Hinc non minus certus sum me existere ex testimonio sensus intimi, ac existere Romam vel Lutetiam Parisiorum ex testimonio ceterorum hominum. Talis vero est certitudo, cui innititur existentia revelationis, ut suo loco ostendemus. Ergo falsum est, quod ab adversariis adstruitur.

Ad 6. *N.* Tantum enim abest, ut istud sit argumentum speciosissimum, ut sine illo res plane confici possit, prout reipsa a nobis præstitum est; etenim nunquam ad illud recurrere debuimus, ut ex tota hucusque instituta disputatione patet, in qua præfatum argumentum non solum non attingimus, sed ne innuimus quidem; reliqua proinde superstructa corruunt (1).

docet artem homines alliciendi, apud Xenophontem *De dictis et factis mirabil.* lib. iv, c. 11. Epictetus in *Enchir.* c. 42. fornicationem ut licitam admittit. Aul. Gellius, *Noct. attic.* lib. xix, c. 11. refert versus amatorios Platonis, quibus scelestæ præderastia commendatur; sed me dies deficeret, si omnia errorum monstra, quæ veteres admisserunt, recensere vellem. Recentiores deistæ, ut suo loco ostendemus, non minus absurda et impia docuerunt.

(1) Infirmæ adeo virtutis sunt argumenta, quibus theologiæ in Academia fridericiana professores in experta juventuti illudunt eamque decipiunt! quibus illi, qui de Christiano nomine gloriantur, fundamenta subruunt christianæ religionis et cujuscumque supernaturalis revelationis, ut eam a sola ratione repetant, id est, ut solum deismum statuunt sub christiani no-

Frustra divinæ ac supernaturalis revelationis possibilitas atque necessitas fuisset per nos constituta, nisi præterea adstrueremus certas notas ad eam discernendam ab hominum fraude.

Hujusmodi notarum potissimæ, omnium consensu, sunt miracula et prophetiæ. Hæc notæ si vere existant in confirmationem alicujus doctrinæ, vel ad comprobendam alicujus missionem, quæ a Deo esse perhibeantur, nullum dubium superesse potest sive circa divinitatem illius doctrinæ, sive circa divinum missionem illorum, in quorum gratiam edita illa sunt.

Deistæ ac rationalistæ, cum nullam supernaturalem revelationem agnoscant, nullum pariter agnoscunt opus supernaturale ad eam confirmandam.

In rationalistarum systemate religio, quæ *supernaturalis* dicitur, nil aliud est, quam ipsa religio naturalis sub forma *positiva* proposita Dei nomine, *arbitrariis* nonnullis additis institutis, ac *mythis* (1) involuta ad quamdam apud rudes aucupandam auctoritatem. Quare factum est, ut religiones mosaica et christiana *arbitrariæ* ab ipsis nuncupentur passim, et ex ea parte, qua prodigiosa facta vel narrationes exhibent, *mythologica* vocentur.

Ex ejusmodi principii facile est dignoscere, nullas ab his auctoribus veras ac proprie dictas notas agnosci ad supernaturalem divinam revelationem secernendam. Cum vere hoc systema sibi sumpserint biblici germanici protestantes, fit, ut veluti mythi ab ipsis traducantur et juxta naturæ leges passim explicentur miracula omnia, ut suo loco prolatis exemplis ostendemus.

Ut ejusmodi ambages atque impietatem abjiciamus, remque totam a suis principii exordiamur, declarabimus quid *miraculi* et *prophetiæ* nomine intel-

minis larva! Enim vero tales sunt fructus, quos demum in Germania protulit protestantismus! Attamen, ut melius dignosci possit quo istiusmodi professores tendant, operæ pretium erit cum versare librum, quem nuper edidit Cl. August. Theiner, *Storia del seminario ecclesiastico, o gli otto giorni a Sant' Eusebio a Roma. Roma 1854.* epocha III, ubi totum hoc negotium repetit a suis causis. Confundi tamen non debent protestantes, quos vocant rationalistas seu naturalistas, de quibus agimus, cum aliis qui supernaturalistæ dicuntur, quique adhuc revelationem retinent.

(1) En, quid *mythi* nomine intelligant neoterici protestantes rationalistæ: *Mythos* generatim est narratio quædam ad antiquissimam populi aut religionis instituti cujusdam historiam maxime pertinens, quæ vel prorsus ficta est, vel factum aliquod aut placitum quoddam philosophicum additamentis fictis ac plerumque miraculosis exornatum exhibet. Imbecillitas hominum rudiorum, qui accuratiore rerum naturæ et philosophicæ cognitione destituti, et fervidiore imaginandi vi ducti, religionis ideas sine involueris historicis et symbolicis neque ipsi capiunt, nec cum aliis communicare valent, et modus eas per *traditionem* propagandi *mythos* istos, quibus omnium religionum origines implicatae sunt, progenuit ac sustentavit; quemadmodum reliqua omnium gentium historia antiquior *mythis* referri est. Ita Wegscheider, op. cit. Cap. 1, § 8, n. b. Niebuhr, *Roemische Geschichte*, id

ligamus, ut deinde 1. miraculi possibilitatem et prophetiæ confirmemus, 2. eorundem sive miraculorum sive vaticiniorum vim evincamus ad supernaturalem revelationem dignoscendam, in cuius gratiam edita fuerunt.

Ne tamen rerum copia quempiam obruat, vel saltem confusionem pariat, in duos distinctos articulos eam dividimus, in quorum priori de miraculis, in posteriori de prophetia disseremus.

## ARTICULUS PRIMUS.

## De miraculis.

Argumenti, de quo agere instituimus, perspicuitati inservientes, nonnulla prænotabimus quibus difficultates non paucae, quæ moveri solent, ab ipso exordio præoccupabuntur.

Ac 1. quidem, cum miraculum a mirando dicatur, ac mirari homines soleant effectus extraordinarios, quorum causa eos latet, hic prius sistamus oportet. Si causa naturalis sit, id est intra naturæ hujus visibilis atque corporeæ leges posita, quamquam hominum captum effugiat, effectus erit mirus vel mirabilis, non autem miraculum; si enim ex naturæ legibus phænomenon enascitur, iteratis experimentis iterari debet.

2. Cum inter agentes naturales alii sint, qui in ordine sensibili hujus universi continentur, alii, qui ad ordinem invisibilem spectant, cujusmodi sunt Angeli sive boni sive mali (quorum existentiam tunc solum admittunt deistæ ac rationalistæ, cum miracula impugnant), et cum eorum vires nos lateant, dicimus, fieri aliquando posse, ut non satis distinguamus effectum, de quo agitur, an immediate a Deo, an mediante ab Angelis sit repetendus; ex quo difficultates oriuntur circa miraculi definitionem. Dixi aliquando; dantur enim miracula, quæ, ut videbimus, non nisi ab actione Dei immediata repeli possunt. Sed interea cum omnia miracula ejusmodi non sint, de hac re disquisitio est opportune instituenda.

3. Quum miraculum proprie dictum tale esse possit, tum ratione sui, tum ratione modi, difficultas, quæ petitur ex vi et efficacia Angelorum, cadere non potest nisi in miracula, quæ talia sunt ratione modi, seu in miracula secundi vel tertii ordinis, ut patebit ex dicendis. Jam vero cum Angeli boni agere non possint in naturam visibilem ac sensibilem nisi ad Dei nutum et imperium, nec mali absque Dei, cui subsunt, saltem permissione, omnino cessat ejusmodi difficultas. Quæcumque enim supponatur vis Angelorum, certum est ipsos, si boni sint, nullum miraculum edere posse nisi in confirmationem veritatis, utpote Dei ministros; si vero sint mali, nihil prorsus efficere posse in confirmationem erroris saltem ita, ut error sit ineluctabilis, obsistentibus moralibus Dei attributis, ut postea declarabimus. Quare non est, cur hac de causa valde laboremus circa miraculi definitionem.

est. *Historia romana*. B. Th. 1. 1812. 2. A. 1826. G. Hermann. *Primordia hist. græcæ*. Lipsiæ 1820 Heyne. *Commentat. de Apollodori bibliotheca*, tom. III. pag. 906, etc.

4. His positis, nihil vetat, quominus cum D. Thoma (1) definiri possit miraculum quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ; vel, ut alibi (2) suam explanat sententiam, illa simpliciter miracula dicenda sunt, quæ divinitus fiunt præter ordinem communiter servatum in rebus. Licet enim Angeli naturarum creaturarum ambitu contineantur, cum tamen nihil efficere possint absque Dei vel præcepto vel permissione, semper verum erit, miraculum esse id, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ sive ratione sui sive ratione modi, ut expositum est. Quod si morosis hæc definitio non placeat, non abnuimus miraculum definire: opus sensibile, stupendum, ordini providentiæ consueto et naturæ legibus contrarium. In hanc porro definitionem verbis mutatis conveniunt definitiones, quæ passim sive a philosophis sive a theologis traduntur, si dolosas nonnullas excipias ad fallendum nempe excogitatas vel prorsus singulares. In hanc præterea definitionem illa quatuor quadrant, quæ ad verum miraculum constituendum requiruntur 1. ut effectus sit sensibilis, 2. ut a nulla creata causa, modo exposito, effici possit, 3. ut sit proinde supernaturalis, 4. ut denique ad divina perducat (3).

Dixi passim traduntur, exploratum enim est, aliam viam inivisse Carolum Bonnet (4), et Cl. Houtteville (5), juxta quos miraculum non est, nisi eventus mirus atque stupendus ex incognita sed naturali legum harmonia ac temperatione profectus. Hæc tamen miraculi notio a plerisque fortasse non injuria improbatur ac passim rejicitur. Quidquid vero de ea sentiendum sit, quod aliorum judicio relinquimus, eam minus necessariam censemus ad Spinozæ sophismata diluenda, in quem finem invecata est.

(1) I. p. q. 110. art. 4. in corp.

(2) *Contra Gentil.* lib. III. c. 101.

(3) Cons. Andreas Spagnius S. J. *De miraculis*, Romæ 1787. p. 2. *De essentia miraculi*. Egregium opus, in quo istud argumentum dilucide evoluitur.

(4) *Palingénésie philosophique* P. 17, c. 5, 6.

(5) Tom. II, edit. Amst. 1744, lib. I. cap. 6; ubi advertendum est, Houtteville minime rejicere communem notionem de miraculis, juxta quam etiam refellit Spinozam, sed aliam addere, ut se magis directe opponeret Spinozæ. Differt vero quoad aliqua a Bonnet præsertim in eo, quod ille duos ordines a Deo ab initio constitutos existimaverit, ex quorum uno consurgeret consuetus naturæ cursus, ex altero vero extraordinarius cursus existeret, in quo miracula concipiuntur. Id est, ex Caroli Bonnet mente duplicem Deus causarum seriem paravit, unam, quæ communes produceret effectus, v. g. ortum et occasum solis, motus siderum, aliaque phænomena, quæ passim in mundo contingunt; alteram vero seriem causarum disposuit, quæ in his vel illis locorum, temporum ac personarum adjunctis ab eodem auctore paratis præter consuetas naturæ leges operarentur. Hinc series causarum, v. g. quæ a mortuis Lazarum excitavit, jam ab initio disposita fuerat, eo tamen ordine, ut causæ operaturæ non essent nisi adveniente Christo ad sepulchrum et clamante: *Lazarus, veni foras*. Houtteville autem arbitratur Deum ab initio sic omnia disposuisse, ut ex legibus semel positis omnia prodirent, sive quæ naturalia, sive quæ mira nobis videntur, quæ tamen non minus naturalia, quam priora sunt. Ex quibus patet, sententias tam Caroli Bonnet quam Houtteville in idem quoad substantiam redire.

Dixi præterea, si dolosas nonnullas excipias ad fallendum excogitatas vel prorsus singulares; cujusmodi profecto ea est, quam Lockius (1) dedit, dum miraculum definit: operationem sensibilem, quæ superat spectatorum captum et juxta illos est contra cursum naturæ et accipitur tanquam operatio divina, qua destruit ipsa miraculi notio, cujus tota virtus penderet ab existimatione spectatorum. Id ipsum dicitur de aliis ejusmodi plus minus vitiosis definitionibus, quas hic non vacat ad trutinam vocare (2).

Igitur ut omnis æquivoctio tollatur, ad veram miraculi notionem requirimus, ut sit opus sensibile, ut a nulla causa creata effici possit, et quidem præter consuetum naturæ ordinem, et nos ad divina perducat.

Circa miraculi divisionem et gradus quoad substantiam, subjectum et modum, nec non de alia divisione miraculi, quod fiat supra, præter et contra naturam, auditores remittimus ad celeberrimum opus Benedicti XIV. *De beatificatione et canonizatione Sanctorum* (3).

Ut igitur ceptum prosequamur iter, ex adversariis miraculorum alii sunt, qui cum Spinoza (4) eorum possibilitatem denegant; alii vero data miraculorum possibilitate inficiantur miracula esse notam certam et ineluctabilem divinæ revelationis, seu quod tuto ea discerni non possint ab operibus naturalibus vel ab operatione dæmonis, seu quod assensum iis præstare non possimus defectu historicae certitudinis. Duo propterea a nobis præstari debent, 1. adstruenda miraculorum possibilitas, 2. eorundem ineluctabilis vis ad probandam divinitatem supernaturalis revelationis.

PROPOSITIO PRIMA. — *Miracula sunt possibilia.*

Sane illud est possibile quod non implicat, sive nullam involvit contradictionem; atqui miracula posse a Deo fieri nullam involvit contradictionem; miracula igitur sunt possibilia.

Deus enim, qui libere mundum condidit, ac libere eidem leges dedit, potest legibus libere a se constitutis derogare; ast ubi legum naturalium adest derogatio, ibi habetur miraculum; ergo. Præsertim cum ejusmodi derogatio, quæ in tempore fieret, nullam importet mutationem in Deo, qui ab æterno, dum constituit mundum condere, eique generales leges dare decrevit, simul decrevit peculiare ejusmodi derogationes ad manifestandam gloriam suam; Deus siquidem, dum opera mutat, non mutat consilium (5).

(1) *Journal des Savants*, art. 9, anno 1708.

(2) Consul. Andr. Spagni op. cit. p. 2. art. 6, 7, 8. ubi accurate plures expenduntur definitiones miraculi partim falsæ partim imperfectæ, vel saltem parum exactæ.

(3) Lib. IV. p. I. c. I. et seqq. Consul. præterea Spagni loc. cit., ubi expendit diversas acceptiones nominis miraculi.

(4) *Tract. theol. polit.* c. 5. Spinozæ inter ceteros adstipulatus est ex Hebræis Dom. J. Salvador annis proxime elapsis in opere cui titulus: *Histoire des institutions de Moïse et du peuple hébreu*, Paris 1829. tom. I. pag. 218, et alibi passim.

(5) S. August. *Confess.* lib. I, c. 4.

Et hæc quidem juxta nostrum concipiendi modum; si intimius enim, ac prout in se est, res consideretur, aliter omnino se habet. Etenim Deus, si proprie loqui velimus, non regit genera vel species, quæ non sunt nisi ideæ abstractæ, sed regit individua, quæ sola realia sunt, neque regit legibus universalibus, quæ pariter non sunt nisi in conceptu nostro, exinde ortæ, quod nos conspiciamus Deum modo uniformi individua talis classis regere, sed regit voluntate peculiari individua singula; quo fit, ut, dum Deus decernit talem planetam v. g. sisti, non deroget alicui legi a se constitutæ, sed decernit ejusmodi planetam moveri circa solem ad tantum tempus, postea sisti, ac rursus deinceps moveri, prout libet. In hoc vero nulla concipitur nec habetur legis universalis naturalis derogatio, ut patet; et sic de ceteris dicatur. Cum igitur, re in se spectata et prout est, nulla sit universalis naturalis lex, quæ videlicet genera et species, et non potius individua respiciat, nec ulla habetur derogatio proprie dicta vel exceptio, sed simplicissimus divinæ voluntatis actus, quo fit, ut tale naturæ individuum in datis adjunctis hæc potius vel alia ratione se habeat; qui proinde hac de causa miraculorum possibilitatem impugnant, falso laborant supposito, ac Deum ex propria sua imbecillitate dimetiuntur.

## DIFFICULTATES.

1. Obj. 1. Non possunt a Deo fieri miracula, quin Deus ipse mutetur. Leges enim, quibus mundus regitur, sunt ipsa Dei decreta, quæ mutari non possunt, quin mutetur ipse Deus, quod est absurdum. 2. Saltem miracula, subdit Salvador (1), minus digna Deo videntur; in legibus enim mundi constituentibus cur Deus non ita generaliter eas patere voluerit, ut circumstantias omnes etiam attingerent, quæ essent exorturæ ex hoc ipso mundo? Secus 3. dicendus est locum identidem reliquisse evertendi hæc leges, quod non nisi ineptis legislatoribus usuenit, qui quum exigua mentis virtute sint instructi, totamque reipublicæ regendæ formam assequi nequeant, quoties graviore difficultates occurrunt, toties ad exceptiones confugere coguntur.

Resp. ad 1. N. Ad prob. *leges sunt Dei decreta*, etc. vel N. quum leges non sint nisi effectus divinorum decretorum; vel D. Sunt ipsa Dei decreta, quæ habent pro objecto tum leges tum ipsarum derogationes in tempore faciendas, C. secus N. Reclamatur dicta in probationibus; ex quibus patet, nec locum habere posse difficultatem propositam a Spinoza quæ præterea jamdiu a s. Thoma (2) præoccupata est.

Ad 2. N. Ad prob. *in legibus constituendis*, etc.

(1) Op. cit. ibid. et alibi passim.

(2) En verba S. Thomæ: « Dicendum quod Deus sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret quod ipse aliquando aliter ex causa esset factorus. Unde quum præter hunc ordinem agit, non mutatur. » P. I. q. 105. art. 6. ad 5. Eadem alibi scribit, præsertim quæst. disputatis 4. de miraculis, q. 6. art. 1. ad 6; et lib. III. *Contra Gent.* c. 99. n. 7.

D. Nisi Deus sibi aliquid minus usitatum reservavit ad torpidas quorundam hominum mentes excutendas, quæ consuetis non moventur, C. quasi Deus non satis providerit ordinariis eventibus ac naturali rerum creaturarum ordini N. Deus certe leges universales constituit, quibus ordinaria ratione mundus regeretur; at ei quoque placuit reservare sibi extraordinaria nonnulla facta, quibus homines supremum ejus dominium in res cunctas ejusque providentiam evidentius cognoscerent, ac præcipue certiores fierent de veritate religionis, quam revelare constituit, ut inferius ostendemus (1).

Ad 3. D. Si id ex necessitate faceret, C. si ex libera electione ob fines sibi præstitutos N. Deinde *Neg. Deum evertere* suas leges quum miraculum qualecumque edit; sed, ut in probationibus dictum est, derogat legibus suis, et quidem non omnibus, sed alicui peculiari legi et in casibus particularibus. Deus vim igni ademit, ne rubum combureret, non evertit legem; nec sustulit virtutem ubique igni inditam ad comburendum; et sic de ceteris dicitur. Æquivocatione proinde utuntur increduli in his comminendis. Ad confirm. *quod non nisi ineptis legislatoribus, etc.* D. Si Deus ejusmodi exceptiones faceret ex inopinato et non præviso superveniente eventu, C. si e contrario in toto etiam systemate voluit has exceptiones ad suos fines obtinendos comprehendere N. Hinc N. parit. Ineptus enim legislator ad has exceptiones confugeret defectu scientiæ et capacitatis, quod de Deo dici nequit, qui incredibili scientiæ suæ virtute omnia comprehendit; si tamen miracula exceptiones dicenda sint, in cuius vocis usurpatione rursus latet æquivocatio.

Et hæc, ne tritam desereremus viam; ceterum vi animadversionis in probationibus positæ, ejusmodi difficultates toties repetitæ ne locum quidem habent.

Ex dictis pariter evanescent, quæ magno apparatu obtrudunt recentiores rationalistæ, id est, increduli cum Wegscheider (2), dum scribunt: « Hi

(1) Ita S. August. *Tract. 24. in Joan. n. 1.* præoccupavit et solvit hanc difficultatem: « Miracula, quæ fecit Dominus J. C., sunt quidem divina opera, et ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia, quæ videri oculis possit et miracula ejus, quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano; secundum suam misericordiam servavit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore præter usitatum cursum ordinemque naturæ, ut non majora sed insolita videndo stupeant, quibus quotidiana viluerant. Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque milium hominum de quinque panibus; et tamen hæc nemo miratur; illud mirantur homines, non quia majus, sed quia rarum est. » Ex hac S. Augustini observatione patet, quid sentiendum sit de præclara recentioris rationalistæ sententia, dum ait: « Miraculis multo minus declarari majestatem naturæ divinæ quam ordine naturæ; quum in illis vim tantum admiremur (rudem quasi); in hoc vero et vim, quæ virtutem rebus etiam abjectis indidit, et sapientiam dispensatoris. » Ita Doederlein, *Institutio theolog. christian. vol. 1. pag. 615.* Quam præclare ac sapienter hæc et ejusmodi alia proferuntur!

(2) Op. cit. proleg. c. 1. § 12, n. a.

(supernaturalistæ) nimirum Deum sumunt res humanas naturali ordine in universum regere, et ubi hic naturalis ordo voluntati ipsius haud amplius satisfacere possit, miraculis patrands ipsi quasi opem et medicinam ferre; illi vero (rationalistæ) Deum statuunt ab æterno res omnes continua serie secuturas tam sapienter disposuisse, ut quæ v. g. ante plura jam sæcula evenerint, id, quod nunc evenit, præpararent et efficerent, nec opus esset miraculis quibusdam quasi intercalariis; ergo omnem gubernationis divinæ sapientissimæ et imæ æque ac summa, maxima æque ac minima, extrema æque ac novissima complectentis ambitum agnoscent; dum isti (supernaturalistæ) in singulis tantum effectibus, Numen summum prodentibus, hic vel illic singularem Dei omnipotentis efficaciam cernere malunt, eoque hominibus rudioris ævi æquiparandi sunt, qui magis ad summam Dei vim et efficaciam quam ad sapientiam explorandam prompti erant. » Ita illi ex tripode pronuntiant in quibus difficile est dijudicare, utrum impietas ignorantæ, an ista illi prævaleat, dum tamen uni ipsi et docti et sapientes a suis celebrantur.

Objicitur secundo cum Spinoza. Miraculum est quid excedens cognitionem nostram, nosque perduens in cognitionem existentæ Dei vel alicujus sui attributi; sed non est possibile, ut id, quod excedit cognitionem nostram, nos perducat in alterius rei cognitionem; nam ex illo, quod excedit cognitionem nostram, nihil potest inferri; ergo impossibile est miraculum (1).

Resp. D. 1. part. maj. Miraculum excedit cognitionem nostram quoad modum, quo per divinam virtutem existit, C. quoad existentiam sui et quidem per virtutem divinam N. et N. min. cum suis probationibus. Quomodo vero ab operibus naturalibus miracula dignoscantur, ex infra dicendis patebit.

Objicitur tertio ab anonymo quodam incredulo (2): Miracula id sunt in ordine naturali, quod sunt mendacia in ordine morali; nam miracula sunt violatio ordinis naturalis; sed mendaciis non est credendum; ergo neque miraculis.

Resp. N. maj. Ad Prob. *miracula sunt violatio ordinis nat. etc.* vel N. ex dictis miracula esse violationem ordinis naturalis; vel D. Id est, sunt suspensio ordinis physici libere a Deo facta, C. violatio proprie dicta, prout est mendacium in ordine morali N. Sublata inepta hæc æquivocatione vocis, *violatio*, evanescit tota virtus propositi argumenti, ex quo æque anonymus inferre potuisset, miracula esse peccata, prout peccata sunt mendacia (3). Accedit, quod

(1) Ubi pariter notandum, aliis verbis, ut solent, eandem difficultatem rationalistas refricare, dum aiunt: *Si nemo ejusmodi effectum (miraculum) certis signis cognoscere potest, ne apta quidem est Numini divino patefaciendo, quippe quæ hominem in ambiguo relinquit, nec certam unquam ei persuasionem indere possit.* (Ibid.) Eandem jam proposuerat Rousseau apud Bergier, *Traité hist. tom. v. §. 14, ch. 2.*

(2) *In Diario literator. Pisan. tom. v. art. 3, pag. 88.*

(3) Impugnarunt Benedictum Spinoza ex ortho-

violatio ordinis moralis importaret imperfectionem in Deum, quod repugnat summæ ipsius sanctitati. Id patet ex ipso mendacio, quod opponeretur veritati.

Inst. Eadem est ratio legum physicarum ac legum moralium; atqui istæ mutari non possunt; ergo neque illæ.

Resp. N. maj. et paritatem; priores enim, si quæ sint, a libera Dei voluntate pendent, non autem posteriores, quæ efficiunt ipsa moralia Dei attributa, sanctitatem nempe, justitiam, etc.

PROPOSITIO II. — *Miracula certissimam notam exhibent ad dignoscendam divinam ac supernaturalem revelationem.*

Miraculum ex datis definitionibus non potest esse nisi a Deo; ergo si Deus miracula efficiat in favorem revelationis, quæ ejus nomine proponitur, miracula non possunt non esse certissima nota ad dignoscendam divinam ac supernaturalem revelationem.

Deus enim veritas est neque unquam potest vel adstipulari errori et falsitati, vel suæ auctoritatis sigillum apponere ad errorem confirmandum, vel saltem permittere, si sermo sit de operibus dæmonum, ut ipsi talia opera edant, quibus homines invincibiliter in errorem inducantur.

Deus enim decipere homines non potest sive per se sive per alios; si igitur miracula veluti signa assumpsit ad testificandam ac patefaciendam divinæ suæ supernaturalis revelationis veritatem, nequit permittere, ut dæmones talia opera patrent, quibus vel dubia fiat probatio, quæ ex miraculis eruitur, vel ita homines decipiantur, ut in errorem ineluctabiliter inducantur, tum etiam, ut dicemus, cum malos punire decreverit vel bonos probare.

Attamen iste solus casus esset, in quo exceptio fieri posset adversus statutam propositionem, desumpta ex potestate malorum spirituum, quorum naturali vi, cum ignoremus quousque ea se extendat, patrari forsitan nonnulla signa possent, quæ saltem respectu nostri rationem miraculi haberent. Ast si notetur ejusmodi naturalem vim, quæcumque ea demum sit, liberam non esse, sed divinæ providentiæ obtemperantem quoad exercitium, ex dictis nihil erui potest ad infirmandum assumptum.

Cum difficultates, quæ afferri solent, ad quatuor capita revocentur, ad tollendam confusionem distincte ac divisim eas proponemus.

#### DIFFICULTATES.

##### Ex ratione.

Obj. 1. Nemo perspectas habet omnes naturæ vixioxis Calmet in *Dissert. de veris fictisque prodigiis*, quæ est prima inter eas quas præmisit ad Comment. in Exod. Michael Vassor, ante suam apostasiam a religione catholica. *Vérité relig. l. II, c. 1; Fassonius, De mirac. Hooke Princip. relig., tom. III, Dissert. De Mirac.; Valsechius, Fondamenti della relig. lib. II, 16, n. 8; Bergier, Traité hist. et dogmat. de la vraie relig., tom. V.* — Ex heterodoxis præcipue Petrus Bayle, cujus longam impugnationem referunt *Trevoltiani*, anno 1745. art. 41. pag. 1018, et Alphons. Nicolai S. J. *Lex. 7, sull' Esodo.*

res: ergo nemo judicare potest inter opus naturale ac prodigiosum; sane 2. sæpe perperam judicantur quidpiam naturam non posse ejusque legibus adversari, 3. quod rudibus præsertim accidere potest, quum ipsi impares sint examini ejusmodi instituendo. 4. Cum igitur dubium semper aliquod supersit in tali judicio efformando, dici nequit, miraculum esse certissimam divinæ revelationis, cui testificandæ assumitur, notam. Hæc quidem veteres deistæ, quibus Kantiani ac rationalistæ subscribunt, quæque fusius evolvunt. 5. Est enim, inquit Em. Kant (1), quædam humanæ mentis arrogancia, quam falso modestiam interpretantur, quæque, ubi in rerum natura aliquid accedit, quod non statim ex causis physicis et moralibus explicari posse videtur, id immediate virtuti, quæ leges naturæ interrumpat, sive efficaciam Dei miraculosæ, haud cunctanter attribuit. 6. At modestum indagatorem decet, ubi talis eventus causas naturales et intermedias non statim reperiat, earum declarationem a futuro tempore potius expectare, quam continuo prodigia et miracula, id est, eventus supernaturali modo effectos somnari; quod quo rudior et incultior homo fuit, eo frequentius accedit. 7. Sunt quidam eventus in rerum natura, quorum causæ, sicut rationes et leges naturæ, e quibus pendent, ob mentis imbecillitatem aut experientiam mancam non omnibus ex partibus et plane possunt cognosci, v. g. generationis mysterium. Neque tamen inde concludi potest, causas et leges cas hic omnino locum non habere, et ipsum Deum in mundo sensibili interdum sine causarum intermediarum intervento, scilicet immediate et supernaturali modo, operari. 8. Namque Deus ipse leges cognitionis humanæ ita constituit, ut quæcumque in rerum natura evenerint, ad causas suas et ad leges in ipsa rerum natura positas, revocari debeant; nec, nisi his bene cogitatis, 9. primaria summaque rerum causa, a qua omnia continuata serie pendeant, in Deo sit quaerenda; 10. quippe qui cuncta ita disposuerit, ut ordine ac nexu quodam causali, qui ab humana mente indagari queat atque comprehendi, eveniant. 11. Quæ quum ita sint, Dei omnipotentiam legibus naturæ ab ipso datis superiorum quidem esse concedendum est, homo tamen innatis sibi cogitandi legibus subjectus divinam in administranda rerum natura vim et efficaciam, nisi ex nexu causarum et eventuum, experientia sensuum cognito, intelligere non potest (2); ergo.

Resp. Ad 1. D. *Positive* et quidem omnes naturæ vires, C. *negative* saltem quoad illas, ex quibus judicari debet de miraculo N. Nemo profecto omnes omnino perspectas habet naturæ vires, ita ut de omnibus affirmare tuto possit, quousque sese earum efficacia extendat; at perquam sæpe, experimento ductus potest homo sive doctus sive rudis cognoscere, quoad usque illa pertingere non possit. Atque ut in concreto exemplum ponatur (a quo semper fugiant

(1) *Vorlesungen über die Metaphysik, seu Prælectiones de Metaphysica, pag. 355. Lips. 1825.*

(2) Wegscheider, loc. c. § II, n. b.

